





EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
**COMMVNIONE**  
**PERPETVA METALLI-**  
**FODINARVM INTER CON-**  
**STATVS IMPERII DVRANTE,**  
**QVANTVMVIS VENAE OMNES**  
**IN ALTERIVS RECESSERINT**  
**TERRITORIVM.**

QVAM  
ANNVENTE DIVINO NVMINE  
PRAESIDE  
VIRO PRAENOBILISSIMO, CONSVLTISSIMO  
ATQVE EXCELLENTISSIMO,  
**DN. FRIDERICO VLRCICO PESTEL,**

I. V. D. EIVSDEMQUE PROF. PRIM. MORAL. VERO ORDIN.  
PATRONO, STVDIORVMQUE SVORVM PROMOTORE  
AETERNVM DEVENERANDO,

IN AUDITORIO IVRIDICO  
AD D. VI. SEPTEMB. M DCC XXXVII.  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT  
RESPONDENS

**CAROLVS HENRICVS CAPAVN,**  
RINTELIO - SCHÄVENBURGICVS.

RINTELII  
TYPIS IOH. GODOFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE

COMMUNIONE  
PREPITALIA MATERIA  
CONDICIONALIA CO-  
ETIATUR VERSUS  
SCHOLASTICIS  
LITERIS

THEOREMATIBVS

ALIO LITERARIBVS  
ALIO LITERARIBVS  
ALIO LITERARIBVS  
ALIO LITERARIBVS



§. I.



niversus terrarum orbis uti hominum gratia a Deo est productus, & usibus eorum destinatus, ita his, simulac fuere conditi, competebat jus circa omnes res in universo hoc comprehensas, et sic unicuique id, quod sibi prodeesse putavit, cooptare licet & sibi habere. Hinc nuda apprehensione praecedente rerum dominia sunt enata, atque ita occupationi soli eorum exordium tribuendum; alias enim originariis dominii acquirendi modus probari non potest, uti divisio, quam fingit Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 2. Haec neque est prima rerum nullius acquisitio, quoniam dominium jam tum quæsitum fundamenti loco habet, siquidem nemo id, quod nondum adeptus est, cum aliis dividere potest; neque unquam universalis omnium hominum communio fuit, unde haec divisio enasci potuerit. Sic ergo levitas hujus adferti in oculos incurrit, tanto magis, cum in facto quodam consistat, quod tamen nullo modo potest probari, cum nullibi

Omnies res ab initio fuerent nullius, adeoque occupationi non divisioni dominiorum exordium est tribuendum.



constet, coivisse unquam genus humanum eum in finem, ut divisionem hanc perageret. In sacris nihil hac de re occurrit, nisi quod Deus Adami primi hominis arbitrio totam subjucerit terram, cuius tamen ille Dominus non aliter est factus, nisi quatenus occupando aliquid usibus suis applicavit. Quantumvis enim totum genus humanum tunc temporis solus repræsentabat, attamen ejus nomine universum hoc occupare non potuit, nec illud inter posteros suos dividere; sed singulæ ejus partes, ratione singulorum hominum postea existentium, manebant adhuc res nullius. Horum quidem aliqui communi rerum quorundam usu sunt delectati, attamen nec ad omnes omnino homines unquam fuit extensa hæc communio, nec peregrinus eorum numerus totum terrarum orbem in usus suos vertere potuit, vel voluit. Minime enim hoc convenit cum simplissima primorum hominum vivendi ratione, de quibus, quod ad dominium universi acquirendum ac inter se distribuendum, adspirare voluerint, haud credendum. Sic ergo soluto hoc primævo vivendi modo, universalis omnium rerum divisio non est subsecuta, sed vastus mundi ambitus, rerumque multitudine sufficiebat, ut quisquis eorum id, quod sibi placebat, eligere ac suum facere potuerit. Ita distincta sunt rerum dominia, communione hoc modo sublata, quæ diu subsistere non potest, varii enim affectus, qui homines movent, impediunt, quo minus pacate in ea vivere possint. Quidam enim eorum inter alios eminere, iisque prædominari, quidam omnia

omnia omnium bona corraderet, aliisque necessaria  
vitæ subsidia denegare cupiunt, cum & quibusdam  
hæc omnia vix sufficiant, ut ea dissipare, & luxuriose  
satis inde vivere possint. Vix ergo hic cyclopicus,  
& non nisi malorum lernam præ se ferens status,  
potest dici viderique naturalis, felicitatemque gene-  
ris humani in tuto collocaturus, nisi quis nimis abs-  
tractionibus, ideisque platonicis fuerit delectatus.

§. II.

Hinc sapientissime disposuere leges Romanæ,  
dum prospicerunt privatis, ne communionis perpe-  
tuæ pactum inviti servare tenerentur, sed hoc sive  
expressè sive tacite quantumvis inierint, pro libitu  
tamen revocare possint, siquidem iis non licet de  
perpetua communione servanda pacisci, pactumque  
hac de re initum est ipso jure nullum, l. 14. §. 2. *Comm.*  
*div.* materiam enim communionis solere discordi-  
am excitare, in l. 77. §. 20. *de Leg.* 2. & immensas  
contentiones, in l. 26. *de Servit. præd. urb.* traditur.  
Cujus rei rationem optime exponit Coccoeij. in diff.  
*de jure pæn.* in *contr. sect.* 3. §. 8. afferens, huic nego-  
tio non inesse causam, juris commutationem & τυρ-  
αλλαγμα, sine animo vero se obligandi principium  
obligationum concipi non posse. l. 3. §. 1. *de Oblig.* &  
*Act.* l. 7. §. 2. *de Paetis.* & mutatio saltem mandato hoc  
peragi. Sic itaque is, qui a communione recedit,  
nil juris alteri aufert, hanc etenim contrahendo plu-  
rimum dominium ita conjungitur, ut tamen unusquis-  
que maneat dominus rei ejusdem, cuius & antea fuit,  
cum ergo non plus juris inde in alterum transferatur,  
quam

Pactum de  
perpetua  
communio-  
ne servanda  
inter priva-  
tos quidem  
non tenet, al-  
juri necessa-  
rio naturali  
non repu-  
gnat, ac inter  
Status Impe-  
rii merito di-  
citur obliga-  
torium,

quam antea habuit, sequitur quod & recedendo nihil auferatur. Procul dubio etiam rationem huic legi dedit discordia ex communione metuenda, cuius vulgo & rixarum mater vocatur, diversæ enim hominum mentes vix ita conspirant, ut hæc evitari possit, quod & in Germaniæ Comitatibus & Baronis jam diu fuisse notum, observatumque, docet Besold.

*P. V. Consil. Tubing. 249. num. 7. seqq. Schurff. cent. 2. cons. 37. n 12 seqq. Hugo de statu regionum Germ. cap. 6. §. 18. quorsum & parœmia: Gemein ist selten ein, collineat, vid. Hert. I. parœm. 25.* Hanc ergo discordiam præscindere voluerunt leges, & cavere, ne quis re sua male utatur, quod tamen facile evenit, si una res in plures distrahitur condominos, commune enim vitium est negligi, quod a pluribus administratur, quoqiam inde detrimentum capit Respublica, quando singulorum patrimonia imminuuntur, cum tamen vel maxime spectare debeant leges, ne publica utilitas labefactetur, sed potius promoveatur, quod adeo verum esse censuit W esenbecius *cons. 151. n 6. 9.* ut & Struv. *obs. feud. cap. 9. n. 3.* & Decif. *Sabbath. c. 19. D. 3.* ut ne quidem testamento paterno divisionem feudorum regalium in perpetuum prohiberi posse responderint. Ita quidem optime leges in civitate diposuere, dum providere voluerunt, ut singulis æque, ac Reipublicæ, bene sit, quod tamen mere arbitrarium est, neque ex ulla ratione cogente juris naturalis potest elici. Longe aliter res sese habet, quando inter Principes summos tale quid occurrit, nec applicari tunc poterunt rationes hæ, vel publicam

cam vel privaram aliquam utilitatem spectantes, sed  
potius primæ juris naturalis regulæ infistendum, &  
secundum partium dispositionem pronunciandum;  
simulac enim pæcta sunt partes, statim irrevocabile  
jus in alterum transit, quod ei invito auferri non pot-  
est. Nec aliud dicendum de Principibus Imperii  
nostris, quibus talia pæcta esse frequentia, locutio R. I.  
de A. 1576. §. 99. **D**a zwey, drey, oder mehr Stände  
in Besitz und Niesung einer unzertheilten Herr-  
schaft seynd, ostendit, & præterea notissimum est  
illud, quod vocant Muthschierung, vi cuius aliquo  
modo vel ad certum tempus bona quædam distin-  
guuntur vel separantur, ita tamen ut eo divisio non  
inducatur, sed perpetua maneat communio, quod  
præprimis adhuc in Holsatia ratione nobilium obti-  
net inter Regem Danicæ & Ducem Holsatiæ, vid.  
Sprenger in *ellychnio* pag. 307. seqq. & omnino colli-  
gendum, hujusmodi pæctum inter eos esse obligato-  
rium, quia & hi summis Imperantibus hoc in nego-  
tio sunt æquiparandi, & sic pæcta eorum secundum  
juris naturalis rationes dijudicanda, uti vel ex exem-  
pto pactorum successoriorum evincit Schilter *exerc.*  
ff. 20. §. 77. idemque testatur Mevius *P. 9. Dec. 157.*  
*num. 4.*

### §. III.

Quanquam autem hocce pæctum jure civili im-  
probatum, inter privatos nullo subsistat modo, ast a  
Principibus Imperii confectum, omnino juris ope-  
retur effectum, quoniam ad eos extendi nequit, quic-  
quid hac de re lege positiva cautum: attamen con-

fultius

Consultius  
quidem vi-  
detur, ut par-  
tes communi  
consensu a  
communio-  
ne recedant,  
invita tamen

altera parte  
condominus  
Imperi Sta-  
tus ab eadem  
recedere  
nequit.

sultius omnino foret, ut hi quoque talia pacta omit-  
terent, eademque jam tum inita communi consensu  
tollerent, quoniam & inter eos lites inde exsurgere  
possunt, maximaque mala oriri. Minime vero al-  
terutri partium invita altera parte recedere licet,  
quod enim vulgo juris positivi placitis stare soleant,  
non necessitatis est, sed voluntatis, nec adeo stricte  
obligantur, ut semper eis se se subjiciant, sed hoc sal-  
tem obtinet, quando materia & ratio legis ipsis est  
communis cum subditis, ut in aestimandis rerum  
priuis, quando cum privatis contrahunt, Grotius  
*de J. B. & P. 2. c. 4. §. 12. n. I.* hoc enim dum faciunt,  
opus est, ut & eodem cum iis jure utantur, quoniam  
alias nulla esset securitas privato contrahenti, quan-  
do Princeps se se legibus postea submittere nolle.  
Simulac autem & huic aliquid promittit, quod juri  
civili contrarium, ei quoque derogare velle censetur,  
& naturaliter saltem obligari, superiores enim illi  
sunt legibus positivis, & has pro lubitu in regionibus  
suis possunt immutare, & contra eas se se subditis ob-  
ligare. Sin fecus pronunciaremus, dicendum quo-  
que esset, Principem cum altero colludentem, nec  
lupina ære redimere teneri, ob *t. t. ff. & C. de Aleator.*  
vel si æs præsens perdidet, illud solutum ex *L. ult. C.*  
*de Aleator.* condicere ab accipiente posse. Ex eo-  
dem principio fluaret, quod & donationem 500 so-  
lidos excedentem insinuare deberet, ad id, ut subsi-  
steret, quæ, similiaque adserta oppido a juris, Princi-  
pibus quæsiti, rationibus abluderent, forentque aliena.  
His vero positis, multo magis quæcumque valebit  
obli-

9

obligatio inter Constatus Imperii contracta, ad invicem enim considerati minime sunt in omnibus negotiis similes privatis, quamvis agnoscant Judicem communem, & leges positivas. Illud enim ex pacto venit, haec vero applicantur saltem, si tanquam privati inter se contrahunt, ut tunc quoque utantur jure privatorum, quando vero uti Principes pacta ineunt, ad utilitatem populi & totius regionis, quam representant, spectantia, praeferim naturali modo obligantur. Et hoc tanto magis in negotio jure civili vetito, quoniam hoc non induit naturam contractus civilis, sed pacti naturalis sive foederis, quod ita aequum ac si ab aliis quibuscumque Regibus, vel summis Imperantibus fuerit contractum, interpretandum. His enim omnino sunt, salvo nexu Imperii, aequales, cum aequo relative summa gaudeant potestate in terris suis, jura omnia belli ac pacis habeant salva, atque in legibus Imperii fundamentalibus satis munita.

§. IV.

Inter hujus summæ potestatis, quam habent omnes ac singuli Principes ac Status Imperii nostri, effectus comprehenditur etiam complexus omnium Regalium, quorum species referuntur in textu feudali 2. f. 56. ubi quoque occurunt Argentariae. Quidnam autem hic referendum sit, vel maxime disceptatur, variæ enim de hujus verbi interpretatione sunt opiniones enatae; secundum vulgarem vero ejus significationem, ac communem & usu receptam sententiam, eo denotantur metallorum ac mineralium fodinae. Hoc enim facile liquet, non ibi intelligi

Argentariis  
comprehen-  
duntur o-  
mnes metal-  
lifodinae.

B

argen-

argentarias, ubi publice pecunia numerabatur, & quæ commercii stabiliendi causa ab hominibus privatis erant constitutæ, & passim in legibus obviæ, quia has regalibus nunquam fuisse adscriptas, vel inde concludendum, cum cætera omnia jura regalia, quæ in hoc textu occurrunt, & alibi, tam in jure publico, quam communi, deprehenduntur ac declarantur, attamen de Argentariis nullibi, quatenus munus hoc Argentariorum, bene tamen, quatenus metallorum fodinas denotant, quod inter Regalia sint referendæ, occurrat. Nec obstat publicas eas esse vocatas, & privilegiis multis munitas, quod inde factum, quoniam publicam utilitatem promovebant, dum singulorum necessitatibus succurrebant: Meliori fundamento non nititur, & ex iisdem corruit rationibus adserunt eorum, qui vocem captantes, ad eas saltem fodinas, unde argentum propriæ sic dictum effoditur, eam restringunt, cum minime credendum, Imperatorem exclusis cæteris, partim pretiosioribus, partim pariter utilibus ac necessariis metallis, solum argentum sibi vindicare voluisse. Magis itaque vulgaris hujus verbi significatio & quasi authentica ejus interpretatio in A.B. t 9 § I. quæ non solum argenti, sed & alterius cujuscunque metalli, facit mentionem, attendenda, & secundum antiquam Germaniæ consuetudinem, quæ Principi attribuit: alle Schäze unter der Erden begraben, tieffer denn ein Pflug gehet, pronunciandum, concludendumque, omnia metalla ac mineralia quæ sub terra nascentur, & utilitati publicæ inserviunt, hic esse intelligenda.



genda. Tanto magis, cum ubique eadem ac argenti cæterorumque metallorum sit ratio, & nunquam iurium circa ea occurrat distinctio, nec ita excludi puto, aurum, æs, electrum, cuprum, stannum, plumbum, ferrum, argentum vivum, sal subterraneum, minium, calcem, arenam, lapides, carbones fossiles, similia, quantumvis quædam eorum minimi habeantur pretii ab aliis, & negligi facile credantur, prout censet Coccej. in *Jur. Publ.* c. 23. s. 2. §. 48. Hæc enim si cuti ubicunque regalium numero comprehenduntur, & in jure Romano jam cæteris metallis æquiperantur, *L. si cuius 13 §. inde est 5. de Uxfr. L. sed si 9. §. 6. silapidicinas ff. de rebus eorum qui sub tut. t. t. C. de Metallariis*, ita sane constat, jus circa ea à nullo Principe negligi, sed potius magna cum cura custodiri, imprimis cum, docente quotidiana experientia, insignis & frequens harum rerum sit usus.

### §. V.

Omnes igitur hæ mineralium metallorumque fodinæ, quæ voce Argentiarum veniunt, jure meritoque à Friderico I. Imperatore regalium numero accensentur. Sicuti enim communis nonsolum Germanorum, sed & omnium prope Gentium consuetudo, adespota & hero vacantia bona Principi confert, eadem ratione & Argentariæ, quippe quæ non immerito his adnumerantur, ei cedunt, quia notissimum metalla cæteraque minera terræ glebis non esse commixta, sed separatis ab ea venis inclusa deprehendi, & sic tanquam pars fundi non possint

B 2

con-

Argentariæ  
merito inter  
regalia refre-  
runtur, cum  
tamen apud  
Quirites fue-  
rint pars fum-  
di.

considerari, sed magis universitatem quam singulos spectant, dum per multorum latifundia sese extendunt, nec intra hunc vel illum fundum privatum coarctantur. Huic ergo non ita cohærent, ut dominium eorum simul cum fundo privato acquiratur, sed hoc potius retinet universitas, hujusque nomine Principi competit. Et ponamus, esse de Jure naturæ domino jus aliquod inquirendi in hujusmodi metallâ in fundo suo nata, attamen in statu civitatis Principi competit facultas, cum privatione ejus, sibi hoc arrogandi. Opus enim est, ut habeat Princeps, unde & sese condigne exhibere, & populum suum contra ingruentem vim hostium tueri possit, deficiente ergo domanio, ærarioque, de omnibus ac singulis subditorum bonis disponere potest, ita, ut etiam ea, quæ necessitatibus eorum quotidianis inserviunt, et quibus vel maxime indigent, auferre ob necessitatem, utilitatemque publicam, ad dictum I. Sam. 8. possit, cur ipsi non competet jus vindicandi sibi ea, quæ nondum in eorum patrimoniis sunt, & de quibus incertum an aliquando lucrum vel damnum exinde sint consecuturi. Emolummentum igitur hoc quia nondum extat, potius in spe, quam in re est, sicque nullum huic fit damnum injuria datum, cui commodum hoc adventiuim ac incertum admittitur, conf. Grotius *de J. B. & P.* 2. c. 2. §. 13. n. 5. & c. 3. §. 5. Ut taceam non esse consultum, ut privati metallis querendis ac protrahendis operam dent; tum, quod facultates eorum immuuntur, dum agros devastare suos, & magnos im-



impendere sumtus incerti eventus causa volunt, vi-  
sum enim est quam sæpiissime, inutiliter immodicas  
expensas in hujusmodi operas esse factas, cum ta-  
men plane nullum vel valde exiguum commodum  
inde sit enatum; tum quod totius Reipl. utilitas ma-  
gis promovetur, si solus Princeps privative hoc ju-  
re utitur, sic enim lucrum, quod inde emergit, &  
civibus prodest, quoniam dum usibus publicis ad-  
plicatur, onera eorum imminuit, ita ut tanto minus  
conferre teneantur. Imo reditus hi maioris sunt æ-  
stimandi, si unius dispositioni per totam regionem  
subjacent, qui sterilitatem unius cum alterius über-  
tate compensare potest, quam si in plures distracti  
sint, qui sæpius & facultatibus & peritia hujus rei ge-  
rendæ destituti, majus damnum quam lucrum ca-  
piunt. Accedit quod aurum ac argentum in offici-  
nas monetarias sit deferendum, ut exinde sponsor fi-  
dei publicæ cudatur, à tali penes quem est jus mone-  
tæ cudendæ. Aliter quidem rationes olim subduxere  
Romani, censentes, quicquid fundo cohæreret,  
quamvis in imis terræ visceribus deprehendatur,  
fundi esse accessorium, ideoque & hoc jus eruendi  
metalla fundo secundum eorum sententiam ita co-  
hærebat, ut nonsolum dominus ipse pro lubitu de  
eo disposeret, sed in usufructuarium quoque illud  
transferret, *L. 9. §. 2. 3. de Uſu fr.* ita ut huic, si plus  
reditus in eis sit, & novas in agro usufructuario in-  
stituere fodinas fuerit concessum, *L. 13. §. 5. eod.* Ita  
tunc temporis Romani, sed uti hoc diu apud eos non  
obtinuit, quoniam Imperatores paulo post decimas  
jam

jam tum exigere cœperunt. *L. 3. C. de Metall.* & sic aliquid juris circa ea sibi arrogarunt, ita eorum consuetudo mores nostros avitos immutare, & leges fundamentales tollere non potest, præsertim cum satis iniquum videatur, posse aliquem invito domino ingredi fundum alienum, ibidemque fodere metalla *L. cuncti 3. & L. quosdam C. de Metall.* dummodo ab ædificiis abstinuerit *L. quosdam 6. C. eod.* ne defossis in altum cuniculis alienarum ædium fundamenta labefactarentur.

### §. VI.

*Argentariae  
olim inter  
reservata Cæ-  
fariis sunt re-  
late, hodie  
vero superi-  
oritate terri-  
toriali com-  
prehendun-  
tur.*

Dum ergo liquet, Argentarias regalibus omnino esse adnumerandas, optimo fane jure Principes Imperii nostri eas sibi vindicant, & omnibus omnino subditis usum earum interdicunt, & hoc tanto magis, quoniam hic dummodo in Germania invaluit, statim summis Imperantibus est concessus. Hoc quidem incertum, quo tempore sit factum, quoniam maiores nostri metalla non adeo curarunt, neque eis usi fuere, permutationibus negotia perficientes, ita ut tunc temporis fuerit dubium, utrum in Germania nascerentur, teste Tacito *de M.G. cap. 16* ibique Bernegger. Id tamen liquet, simulac invaluere, regale usi jus inde esse enatum, a primis enim temporibus soli Imperatores de iis disposuere, quod satis superque testantur privilegia hac de re passim ab iis concessa, quia per totam Germaniam, instar cæterorum regalium Cæfariis reservatis continebantur, usque dum postea successu temporis per modum privilegii in Principes fuere translata. Non enim statim cum existerent



existerent Duces Germanicarum provinciarum, hoc  
jus eis fuit concessum, sed ut illi terras sibi demanda-  
tas per temporum spiramenta hereditario proprio-  
que jure acquisivere, ita ut feuda Imperii, quæ primis  
temporibus fuere precarium, postea ad annale spa-  
cium, porro ad dies vitæ, denique sub Conrado II. Sa-  
lico etiam nepotibus concessa, vid. I. f. 1. §. 4. & I. f. 8.  
§. 1. & I. f. 14 pr. tandem interregni licentia perpetua  
sunt omnium jura, non tantum Principum, sed &  
Comitum, Baronumque, conf. Hert. *de origine &*  
*progr. spec. in German. rerump.* §. 25. & Aut. ill. me-  
ditat. ad J. P. mant. I. ad art. 5. *de superiorit. terr.* §. 31.  
eodem modo hujus juris exercitium per temporum  
intervalla cum cæteris regalibus omnibus sint conse-  
cuti. Ipso enim jure tunc temporis eis nondum  
competebat, quia terras sibi demandatas non proprio  
jure regebant, sed vicario saltem nomine a Cæsare  
tenebant, hoc itaque regale jus quod Cæsareæ Maje-  
stati erat annexum, nec inde nisi per specialem con-  
cessionem poterat avelli, tanquam vicarii sibi arro-  
gare non poterant, sed speciali antea opus erat con-  
cessione, quo titulo & illud postea partim, partim ve-  
ro immemoriali præscriptione sibi conciliarunt. Si-  
quidem liquet Cæsaris reservatis, etiam posteaquam  
feuda hereditaria sunt facta, hoc fuisse adscriptum,  
neque ex diplomatis, mediisque ævi monumentis,  
satis evinci potest, quasi extincta A. 912. stirpe Caro-  
lingica in Germania pristina libertas jure quodam  
postliminii ad populum redierit, qua de re v. Coccej.  
J. publ. C. 15. §. ult. & Gundlingii Henr. *Auceps*, re-  
fertur

fertur enim adhuc 2. f. 56. à Friderico I. Imperatore inter regalia , & postea quoque tanquam singularis liberalitatis signum quibusdam Principibus est concessum , uti Carolus IV. in A. B. t. 9. §. 1. illud Electoribus tanquam insigne privilegium dedit , certo indicio , regulariter illud nondum feudis statuum Imperii fuille annexum. Quo juris colore alioquin Henricus VI. potuisset Ao. 1189. Cal. Apr. constituerre ? Cum omnis argentifodina ad jura pertineat Imperii , & ad regalia nostra sit computata , nulli venit in dubium , quin ea quæ nuper in Episcopatu Mindensi dicitur esse inventa ad nostram totaliter spectet distributionem . Unde in illa nulli hominum quicquam juris recognoscimus , nisi hoc à nostra liberalitate valeat impetrare . Mandamus igitur omnibus vobis & singulis , sub obtentu gratiæ nostræ præcipientes , ut nullus vestrum de se prædicta argentifodina intromittat , nec aliquid juris sine nostra licentia fibi in ea usurpet . Quod si quis temerario ausu forte attentaverit , indignitatem nostram se noverit incursum . Hodie autem omnibus ac singularis Imperii statibus competit , neque opus habent speciali titulo , quoniam superioritas territorialis quam habent sufficit , ut proprio jure de hoc quoque regali disponere possint . De quo dubitare neminem finit Pac. Osnab. Art. 8. vi cuius & complexu omnium regalium , absque ulla Cæsaris contradictione , gaudent , quorum in numerum & hoc merito relatum §. præc.

§. VII.

## §. VII.

Cum itaque Principes Imperii vi superioritatis territorialis instar cæterorum regalium & Argentarii utantur, easque pleno jure possideant, procul dubio etiam valide disponunt, quando pacta de iis ineunt, quantumvis ea juri civili sint contraria. Si ergo de perpetua omnium metallifodinarum communione fuerint pacti, videamus quomodo hoc pactum sit explicandum, & quid eo juris circa illas fuerint partes consecutæ. Hoc quidem jam tum vidimus, esse illud pactum ab utraque parte obligatorium §. III. Cum itaque neuter eorum possit ab eo recedere nisi altero consentiente, sequitur quod & alter altero invito possit inquirere in fodinas, in cuiuscunque compacifcentium territorio deprehensas, quoniam alias pactum, quod tamen cum effectu inire voluerunt, redderetur irritum ac nullius efficaciam, vid. tamen conclusa jud. aul. Tom. 2, pag. 18. Nec obstat commune illud principium, quod in communi causa melior sit prohibentis conditio, quod quidem in aliis negotiis satis naturale esse largior, hic autem applicari non potest, quoniam naturæ negotii directo est contrarium, quæ procul dubio est hæc, ut metalla eruantur, ac in communem utilitatem vertantur. Qualis autem utilitas posset exinde emergere, quando alterutri partium liceret impedire alterum pro lubitu, eumque ab exercitio juris sui ex pacto quæstui arcere, & ita efficere, ne protrahantur metalla, sed in terræ visceribus maneant abscondita; hoc sane absurdum foret & fundamentum in-

C intentionis

Inita metalli-  
fodinarum  
societate, an  
invito socio  
in easdem in-  
quirere li-  
ceat.

tentionis paciscentium plane destrueret! Primam ergo hic juris naturalis regulam in partes vocare mallem, & ex dispositione partium jus enatum esse, pronunciare. Uterque enim compaciscentium hoc ipso dum communionem init hanc generalem, omnium omnino metallorum in utriusque territorio deprehensorum dominus est factus, qui itaque naturali disponendi de rebus suis gaudet facultate, quam alter eodem jure usus impedire non potest, quoniam vi pacti juri prohibendi renunciavit, dum semel voluit, ut inquiratur in fodinas, non autem ut maneat inculta. Accedit quod favorabilior sit causa alterius, tendit enim ille ad publicam utilitatem promovendam. Hoc uti eo vel maxime fit, quoniam metallis omnino opus est commercii stabilendi causa, ita semper Principi curæ cordique esse debent, ut rite administrentur, neque etiamsi ipse non pleno jure de iis disponere possit, ab aliis negligantur.

### §. VIII.

Hinc si, uti in quibusdam Germaniae Provinciis v. gr. Misnia sit, quæ cum auri argenteque sit vel maxime ferax, ferrifodinas Princeps negligit, nobilibus privatis eadem relinquuntur, attamen his, quocunque etiam titulo eas acquisiverint, magis preventus earum, quam jus omnimodo de iis disponendi competit, Principi enim præter plura alia iura, semper adhuc remanet cura dirigendi eas ita, ut secundum communem utilitatem recte instituantur. Quod etiam obtinet, si cui in feudum fuerint datæ, quamvis

*An investitura omnis  
privative vel  
cumulative  
sit intelligen-  
da?*



quamvis eadem utique earum , vti aliorum jurium regalium minorum , sit ratio , horum autem investitura in dubio si lex aut mos regionis aliud non induxerint , privative videtur esse facta , uti juris venandi , pescandi , jurisdictionem exercendi , ita ut Princeps sibi imposterum non possit arrogare jus convenandi &c. quod enim semel valide in alium transtulit , eo ipse amplius non potest uti , siquidem ita concursu suo irritam redderet concessionem , quam tamen cum effectu voluit esse factam ; Hæc tamen Argentiarum concessio privativa non impedit Principem , quo minus jure superioritatis possit uti , nec adeo debet extendi , ut eum plane excludat ab omni cura circa eas . Eadem quippe uti Vasallo non officit , nec utilitatem ejus intercipit , sed potius promovet ; ita totius Reipl. interest , ut Princeps eam tueatur , quam ergo nunquam temere videtur neglexisse , neque in alias transtulisse , quia semper ac ubivis distingui debet dominium eminens ac vulgare , ut , hoc quidem translato , illud maneat integrum , ac ejus personæ cohærens . In hoc enim , uti in cæteris regalibus majoribus concedendis , parcus præsumitur Princeps , nisi de expressa ejus voluntate in contrarium fatis constet , sic omne illud quod non est expressum nec concessum videtur . Quod ita procedit quamvis integrum territorium in feudum concesserit Princeps , attamen nisi hoc cum plena superioritate , sive complexu omnium regalium , decerit , sed aliquot saltē expreſſerit , omnia quæ nominatim non sunt expressa , sibi reser- vasse videtur . Neque plus operatur generalis de-

C 2

nomi-

nominatio postea facta, quippe quæ saltem confirmat id quod antea specialiter expressum. Ut nec æquipollentia verba sufficiunt, veluti territorio, cui alioquin regalia non cohæsere, cum omnimoda jurisdictione concessa, sive sub clausula: mit Ober- und Erbgerichten, regalia non comprehenduntur, quamvis huic clausula inesse videantur, sed expressa denominatione opus est, quæ vulgo fieri solet, voce **Herrlichkeiten**, conf. G. Schweder & F.C. Harprecht, professa opera docentes, quid clausula pertinentiarum mit denen **Herrlichkeiten**, in instrumentis operetur.

### §. IX.

Simili ratione etiam pacta inter summos Imperantes inita ultra expressum eorum tenorem non sunt extendenda. Videndum itaque, si verba quædam instrumenti a Principibus confecti fuerint æquivoca, quisnam eorum alteri aliquid de suo jure concesserit, concludendumque, hunc nihil amplius, quam id, quod verbis est expressum, in alterum transferre voluisse, & sic sibi habeat alter, quod non clarius exprimere curaverit id, quod sibi stipulari voluit. Nemo enim unquam in dubio præsumitur liberalis, etiamsi superior sit altero; tanto magis itaque hoc procedit ratione æqualium, neque tunc aliquis suo cum periculo vires alterius instruere, eumque temeraria sua liberalitate potentiores reddere, atque ita ut noxius aliquando sibi esse possit, efficere velle videtur. Consultum autem est & danti, ut verba instrumenti ita disponat, ut perspicue possit intelligi, omne

Si verba  
quædam in-  
strumenti a  
Principibus  
confecti fu-  
erint æqui-  
voca, ac ob-  
scura disce-  
ptionis,  
contra quem  
fieri debet  
interpretatio?



omne id quod in accipientem voluit esse translatum,  
& sic occasionem ei præscindat verba captandi, &  
ultra promissa aliquid exigendi. Quod haud raro  
fieri solet, quoniam plura hujus rei extant exempla  
ad nostrum quoque Imperium spectantia. Cum ex.  
gr. finito bello tricennali Suecis in compensationem  
expensarum, & præmium restauratae pacis, Pome-  
rania *cum terra adjacente in Instr. Pac. Osn. art. 10. §. 2.*  
fuerit concessa, occasionem eis præbuit hoc, expo-  
scendi ingentem terrarum ambitum ab Electore  
Brandenburgico, cum quo vi dicti instrumenti fines  
terminare debebant, sub hoc colore, quasi hæc omnia  
sub voce terræ adjacentis comprehendantur. Op-  
pido autem liquet iniquitas hujus petiti, ex principiis  
in antecedentibus struëtis, ut raceam, non posse aliud  
quidquam hisce verbis contineri, quam id, quod ju-  
risdictioni eorum locorum, quæ iis erant concessa, &  
ibi nominatim expressa, subjacet; absurdum enim  
hoc inde nasceretur, si verba secundum eorum in-  
tentionem explicari debuissent, ut prope totam Ger-  
maniam exigere potuissent, quoniam Pomerania ad-  
jacebat. Hi autem omnis bonæ interpretationis  
sunt gradus, si 1) non satis adparet, quid actum, 2)  
natura negotii, 3) verborum est proprietas ita spe-  
ctanda, 4) ut ne quid absurdum inde enascatur, conf.  
*l. 34. de R. I. l. 7. de Supell. leg. l. 4. de Usur.* Grotius *de*  
*J. B. & P. 2. c. 16. § 15. & 22.* Sed plura hac de re dis-  
serere non attinet, singulaque ad ductum Puffen-  
dorffii de rebus gest. Frid. Wilh. *l. 3. §. 53. seqq.* sub in-  
cudem vocare, cum omnis hæc controversia A. 1679.  
fuerit

fuerit composita ad famum Sti Germani inter Electorem Brandenburgicum & Suecos. cf. Hennig. *in medit. ad d. art. P. O.* Eodem imo potius dicam nullo nitebatur fundamento illud Gallorum Regis Ludovici XIV. factum, complures Germaniae terras, quas Commissarii ejus, sub nomine Cameræ unionis ac reunionis in civitate Metensi confociati, ei addixerant, sibi competere afferentis, quoniam ad regnum Auftrasiæ olim pertinuerint, cum tamen in pacis negotio hac de re non fuerit cogitatum. Hujusmodi vero argumenta a partibus quibusdam ad totum applicata, refutatione vix indigent, sed statim ac struuntur, corruunt, quisquis enim extra partes positus homo facile videt, nihil ea esse facienda, & vulgari verborum significatiui potius inhærendum. Sed longe aliter res sese habet, quando sub generali denominatione aliquid est expressum, tunc enim procul dubio ejus habenda erit ratio, ac omne illud, quod vulgariter eo significatur, intelligendum.

### §. X.

Hoc commode applicari potest ad casum §. VII. propositum, & ulterius concludi, omnes ac singulas metallifodinas tam detectas quam detegendas, inita generali earum societate, esse intelligendas, neque secundum genuinam vocis hujus, quæ generalissima est, interpretationem, neque secundum naturam negotii, quoniam una eademque est ratio futurarum ac præsentium fodinarum, illæ possunt excludi. Sæpius enim contingit, metalla uno alterove loco commode erui non posse, & sic novæ sunt fodinæ apriendæ.

Metallifodinis indefinite  
communicatis utrum  
comprehendantur etiam  
detegendas.



riendæ, qvæ itaqve tanqvam media ad finem nullo modo sunt exclusæ, hunc enim qui vult, media etiam velle intelligitur. Simile quid occurrit apud Livium, qvod nempe inter Romanas atqve Carthaginenses fuerit disceptatum, utrum sub denominatione siorum veniant & futuri, postqvam enim inter se convenerant, ut utriusqve populi socii ab utroqve populo sint tuti, Carthaginenses debellare cœperunt Saguntinos, qvos postea in societatem assumferant Romani, & ita fœdus a Carthaginensibus ruptum esse censebant. Neqve hoc male, optime enim rationes subducit Livius lib.21. c. 19. dum ex hoc fundamento Romanos defendit, qvod nempe, cum semel omnes utriusqve populi socii in fœdere fuerint comprehensi, neqve tamen additum, utrumne hoc de præsentibus sociis vel qvoqve de futuris sit intelligendum, omnino & hi comprehendantur, qvos postea populus Romanus assumferit, qvoniam hoc pacto huic non fuerit novos assumendi socios facultas circumscripta. Cum itaqve Romani jure suo usi Saguntinos fœdere sibi junxere, sane & hi omnia siorum jura sunt consecuti. Nec aliud dicendum, si pactum fuerit, ne quis rebels alterius recipiat, procul dubio enim & tunc intelliguntur futuri. Cum enim indistincte rebellium facta sit mentio, omnes, qui hoc nomine comprehenduntur, uti sane futuri æque ac præsentes, censemur expressi. Eadem enim eorum est conditio, & sic eadem qvoqve disponendi ratio, cur itaqve cessaret pactum, cum adhuc unum idemque ejus maneat objectum?

§. XI.

## §. XI.

Similis quæstio excutitur, si fluvius fuerit communis, an eo per alluvionem &c., mutato, etiam fines territorii sunt præveniuntur?

Huc & referri meretur quæstio ad finis, utrum ne flumine mutato, fines quos illud definivit, fuerint mutati? Illud autem uti potest vario modo immutari, sive enim alteri ripæ id, quod vel paulatim ab altera est detraictum per alluvionem, veletiam crustam uno actu & iactu abreptam, jungit, & sic unam auget, alteram vero imminuit; sive omnino alveum derringit ac cursum mutat; Ita pro hoc modo variata & decisio hujus quæstionis, ipse enim fluvius vel immutatus est, & novus factus, vel non est, manetque idem ille, qui secundum pacta fines terminare debet. Hoc priori casu evenit, nulla enim fluminis fit mutatio, dum adhuc incertum quid, qualem vel quantum sit adjectum, vel sive hoc sit certum, attamen manet idem ille fluvius finitor, & ita secundum intentionem paciscentium fines quoque manent iidem, quamvis paululum mutentur. Posteriori autem casu revera mutatur, & desinit idem esse fluvius, qui fines terminare debuit, hi ergo illo quidem casu mutantur, minime vero hoc, uti rem recte decidit Grotius de J.B. & P. 2. c. 2. §. 16. 17. Fluvius enim uti hisce tribus consistit partibus, aqua nimirum, alveo & ripis, quarum duæ posteriores sine dubio sunt præcipuae, quoniam certum flumini modum faciunt, idque limitibus suis includunt; ita omnino & haec, quæ primariam disponendi causam dedere, tanquam norma finium sunt considerandæ, quoniam non credibile, voluisse partes undas termini loco ponere, quæ semper sunt mutabiles, neque certo loco comprehensae sunt.



duntur. Dissentit quidem Gundling *J. N. & G. cap.* 20. §. 8. huic autem etiam si daremus, flumen magis consistere in aqua quam in alveo, nec tamen hunc dum derelinquit, alterius partis fines augere potest, quoniam hic utique applicanda est clausula rebus sic stantibus, hunc enim casum si prævidissent partes, aliter sine dubio disposuerint.

### §. XII.

Antequam vero clausula imponatur, brevibus adhuc videamus, utrum Comes a Principe possit investiri de toto Comitatu, & tamen esse Status Imperii, quod multis videtur negandum, quoniam talis nulli debeat esse subjectus, ac neminem habere superiorem, nisi Cæsarem, *R. I. de A. 1548. §. 66. & R. I. 1654. §. 197.* hinc decisio quæstionis propositæ pendet ab hac: utrum vasallum involvat subjectum. Censet quidem hoc ius Saxonum, quod omnino requirit, ut omnis vasallus domino directo plene sit subjectus, & non solum in negotiis feudalibus, sed etiam quibuscumque aliis personalibus ad feudum non spectantibus, forum ejus agnoscat, & judicatis stet. Huic adstipulatur Papa, quippe qui in *Cl. 2. de Sent. & re jud. Henrici Cæsaris sententiam contra Robertum Siciliæ Regem latam, nullam pronunciat, quoniam sine consensu Papæ ipsum Regem, qui ejus erat vasallus, citaverat Imperator.* Quantum ad feuda Saxonica attinet, largior hoc ulti, quod ibi usu approbatum & sub lege feudali comprehensum est, & ita tanquam pactum huic negotio ab initio adjectum merito servandum, quisquis igitur

D

vult

Coronis  
loco additur,  
an Comes a  
Principe pos-  
sit investiri  
de toto Co-  
mitatu, &  
tamen esse  
Stat. Imperii.

vult hujusmodi feudi emolumentum, ille etiam onus ei annexum subire debebit; Papa cæteroquin novum jus facere non potest, neque modum huic rei impo-  
nere, quæ non secundum ejus arbitrium, sed suam naturam & sanam rationem dimetienda. Ita consideratus nexus feudalis optime convenit cum födere inæquali, quod initur sub hoc modo, ut alter alteri re-  
verentiam præstet, veluti si populus populo in clien-  
telam sese dat; sicuti autem subjectionem non involvit hujus generis pactum, ita ille nexus feudalis non magis efficiet. Describitur hoc optime in l. 7 §. 1. *de capt. & postl.* quam legem satis naturalem esse cen-  
feo, utpote quæ liberum illum populum prædicat, qui nullius alterius potestati est subiectus, & quamvis in födere comprehensum sit, ut alterius populi maje-  
statem comiter conservaret, hoc tamen non esse ad-  
jectum, ut intelligatur, alterum populum non esse li-  
berum, sed saltem ut intelligatur, alterum populum esse superiorem. Huc ergo non facit, clientelam esse proximum subjectionis gradum, saepeque con-  
tingere, ut ex cliente fiat subiectus, uti hoc experti sunt Episcopatus Metensis, Tulli & Verduni, qui po-  
ste aquam in clientelam Galliæ sese dederunt, occa-  
sione ferente ab Henrico II. Gallorum Rege sub ju-  
gum sunt missi. Hoc enim ex accidente fit, nec er-  
go influit in effectum, æque etiam contrarium con-  
tingere potest, cuius rei exemplum præbet ipse Pa-  
pa, qui quantumvis primo cliens fuerit Cæfaris, po-  
ste tamen adeo crevit ejus superbia, ut dominus e-  
jusdem esse voluerit, imo interdum crudeliter satis  
in



in eum sacerdotem, uti testantur exempla Friderici Barbarossa, Henrici IV. aliorumque. Nec inde oritur subjectio, quod vasallus domino directo reverentiam praestare debeat, ac fidelitatem, quantum enim illa differt ab obedientia, uti ex verborum conceptu statim liquet, tantum abest, ut haec eam involvat, quoniam fidelitas in hoc negotio debet esse reciproca, neque tamen mutua subjectio vel concipi potest. Nihil magis operatur jus cogendi vasallum, si haec similia ex feudo fluentia jura domino directo praestanda recuset; hoc etenim ex pacto venit, sicuti omnis omnino pacifrons pacta conventa servare tenetur, & quantumvis noluerit, cogi tamen salva sua libertate potest. Quod si non solum inter pares, veluti, si quedam ex septem confederatis Belgii provinciis id, quod in pactione fundamentali Trajecti inita conventum, praestare non vult, optimo jure a ceteris cogitur, nec tamen eis fit subjecta, sed hanc tenus manet aequalis: sed aliquando etiam inferior superiori vi pacti cogere potest, veluti si quis Status Imperii nostri, qui Director Circuli audit, alterum in eodem circulo vel potentia vel dignitate superiori cogeret, ut leges Imperii observaret, quod sane vi pacti facere posset; Simili modo judicandum de eo, quod domino directo liceat privare vasallum ob feloniam, hoc enim itidem ex pacto venit, uti id, quod feudum extincta primi acqvincentis familia redeat ad dominum directum. Omnes igitur hujusmodi effectus Vasallagii, qui libertati contrariari videntur, respectu vasalli modi saltem sunt habendi rem, qui

D 2

rem

rem ipsam non mutant, sicuti bene ita distinguit Grotius *J. B. & P. I. c. 3. §. 23.* & ex exemplo regni Bohemiae oppido liquet, qvod quantum quantum est, non nisi nexus feudalium cum Imperio nostro copulatum in hunc usque diem est, vt vetera regni Hungariae, Poloniæque exempla sicco præteream pede. Nec jus feudi quod tollat immediatem, vt vocant, ratione jurisdictionis seu potestatis, optime docet Coccejus *in J. P. c. 15. §. 2.* supraqve oppositum textum R. *J. 1548. §. 66.* solvit, distinguendo inter novos & antiquos Comites, & de novis saltem dubitatum esse ait, *in Diff. de Charactere Statuum Imperii sect. 3. §. 19.* num illi, die von allen ihren Gütern den Fürsten gediinet, und auf deren Eigenthum sich Graffen und Freyen lassen, quoad onera Imperii &c. eodem jure, quo reliqui Comites immediati habendi sint? quod ibidem negari, solosque novos Comites qui immediata bona non habent, exceptos esse, statuit ibidem, conf. exempla Waldeccia Comitum et Ritberg. apud Nolten *de Nobilitate, c. 8. n. 109.* Limn. *J. publ. cap. 4. n. 92.* ac de Windischgratz & Rosenberg apud Aut. des Reichs-Staats pag. 192. ne quid addam de Comitatu Erpacensi, Mansfeldensi, Reinsteinensi, Hohnstenii, Ortenburgico, &c. Verum hic terminus erit ponendus, quia augustiorem instituti mei ratio excludit ambitum, fines enim exercitationis academicæ excedere noltui, multo minus arduam hanc materiam exhaustire, sed unicum mihi hoc propositum fuit, ut præcipua ejus capita brevibus saltem attingerem: sic omnem aversatus quæ



quaē hanç circa rem forsā agitatur controversiam,  
ad nuda juris principia animum adplicui, nec factum  
ullum in disceptationem vocavi, meum ergo facio id,  
quod in præfatione operis *de J. B. & P.* §. 58. de se  
prædicat Grotius, dicens: Injuriam mihi faciet si quis  
me ad illas nostri seculi controversias, aut natas aut  
qvæ nascituræ prævideri possunt, respexisse arbitra-  
tur. Vere enim profiteor, sicut Mathematici figu-  
ras à corporibus semotas considerant, ita me in jure  
tractando ab omni singulari facto abduxif-  
se animum.

---

## COROLLARIA.

### I.

#### *Ex Jure Naturæ desumpta:*

- 1) Metus crescentis potentiae non est legitima causa bellandi.
- 2) Mennonistæ ad præstandum jusjurandum non possunt cogi.
- 3) Ad transferendum dominium non est necessaria traditio.
- 4) Actio quadrupedaria non datur.
- 5) Lex IO ff. de Negotiis gestis utrum naturalis sit? problema esto.
- 6) Domaniis Principum per immemoriale tempus præscribitur.

### II.



## II.

*Ex Jure Publico:*

- 7) Imperium semper fuit electivum.
- 8) Nunquam autem mere monarchicum.
- 9) Jure Nobiles, Tabellionesque creandi, Academias erigendi, solus gaudet Cæsar.
- 10) Vicarii non possunt interregni tempore exercere jus primiarum precum.
- 11) Jus circa sacra Statuum Protestantium religioni additorum congrue non appellatur papale vel episcopale.
- 12) Cognitio criminis & reparatio damni in via publica perpetrati competit ei, qui habet jus conducendi, non vero domino territorii.

## III.

*Ex Jure Germanico:*

- 13) Quilibet dominus territorii onera pro refectione viarum publicarum transeuntibus impone-re potest.
- 14) Agricolis non licet vendere fruges in herbis.
- 15) Fratrum liberi soli succedunt in capita.
- 16) Judæo non licet nomen Christiani in Christianum transferre.
- 17) Usuras quincunes excedentes sibi stipulari nemo potest.

## IV.



## IV.

*Ex Jure Civili:*

- 18) Clausula salutaris nihil operatur.
- 19) Ex testamento rite factō ubique obligatur heres.
- 20) Fratres se invicem sine ulla causa possunt præterire.
- 21) Testamenta peregrinantium non sunt privilegiata.
- 22) Legatarius in testamento tam scripto, quam nuncupativo, testis esse potest.
- 23) Testamento destituto corruunt legata.

## V.

*Ex Jure Canonico:*

- 24) Cautio Mutiana obtinet etiam in legatis venerabilibus locis reliqtis.
- 25) Annus gratiæ soli prodest viduæ ejusque libris, adeoque in alios quoscunque heredes non transfit.
- 26) Prædia ecclesiastica Clericus conducere potest.
- 27) Conductori prædiorum ecclesiasticorum non competit jus protimiseos.
- 28) Clericus cum effectu potest fidejubere.
- 29) Valide quoque renunciat idem beneficio competentiæ & cessionis, obligationem ergo cambialem & ad obstagium potest contrahere.


## VI.



## VI.

*Ex Jure Feudali:*

- 30) Feuda cum emphyteusi non recte comparantur.
- 31) Regulariter vasallus in persona servire debet, sic culpa substituti ei nocet.
- 32) Si unius domini plures sunt heredes unam saltem vasallus, non singulis seorsim sed omnibus coniunctim, debet fidelitatem.
- 33) Feudum quod vasallus publicatione bonorum amisit fisco non cedit.
- 34) Per feloniam ipso jure non tollitur feudum.
- 35) Dominus non potest invito vasallo jus suum alienare vel oppignorare.



\* \* \*

Wo Witz, Verstand, Vernunft und Wissenschaft  
regieren,

Da steiget man vergnügt auf die Catheder hin;  
Und wen noch überdem, was Tugend heisset, zieret;

Der muß Lob, Ehr u. Ruhm erhalten zum Gewinn.  
Mein werthester CAPAUN! dies kan man von Dir

sagen,

Dass Du bishero hast den Grund sehr wohl gelegt,  
Thu der Gelahsamkeit numehro auch nachjagen,

So wird der ganze Bau vollbracht, wie er erregt.

Hiermit wolte dem Herrn RESPONDENTI  
wegen abgelegten gelehrten speciminis  
seine schuldigste gratulation abstatten  
Desselben ergebenster Freund und Diener

H. G. Fleischhut.

Wen die Natur mit seltnen Gaben,  
Als einen Liebling ausgeziert,

Der muß, durch ihre Kunst geführt,  
Vor andern Glück und Vortheil haben.

Sein Witz und unverdrossner Fleiß  
Verdient das schönste Lorbeer-Reiß.

Dein Beispiel zeigt an diesem Tage,  
Geschätzter Freund! genugsam an,

Was ein geflissnes Urtheil kan,

Und was ein Baum vor Früchte trage,  
Woran des klugen Gärtners Hand

Fleiß, Müh und Arbeit angewandt.

E

Du

Du sprichst von denen Bergwerks Pfründen,  
 Woraus so mancher Vortheil sprießt,  
 Der sieht, wer Deine Blätter liest,  
 Wie Du aus den Gelahrtheits Gründen  
 Und dem durchwühlten Bücher Schacht  
 Das Gold der Weisheit eingebracht.

So weckt Dein eifriges \*Exempel  
 Auch andre zu der Arbeit auf.  
 Und da Du bist in vollem Lauff  
 Zu dem erwünschten Ehren-Tempel;  
 So wird man Dich mit nächsten sehn  
 Auf dessen höchster Stufe stehn.  
 Dieses sei dem Hn. Respondenti glückwün-  
 schend hinzu Desselben aufrichtiger

Frid. Phil. Freund/  
 OPPONENS.

Du weisest recht, mein Freund! daß man nach Gold  
 thut graben,  
 Und seinem Nächsten kan dadurch gar öfters schaden;  
 Wie wohl hastu gethan, daß Du Dir einen Schatz  
 Verwahret hältst, wornach kein grabe findet Platz.  
 Es zeiget sich allschon bey Deiner zarten Jugend  
 Mit aller Macht hervor Gelehrsamkeit und Zugend,  
 Wordurch Du merklich wirst des Vaters  
 Ruhm erhöhn,  
 Und bey der Nachwelt wird dein Name nie vergehn.

G. J. Vollmar/ OPPONENS.



**ULB Halle**  
006 576 761

3



WD18



EXERC  
COM  
PERPET  
FODINA  
STATVS  
QVANTV  
IN ALT  
T

AND

VIRO PRAE  
ATQ  
DN. FRIDE

I. V. D. EIVSDEMI  
PATRONO, STVI  
AETH

AD I  
PUBLIC

CAROLV

TYPIS 10H.

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



A  
NE  
LLI  
CON  
NTE,  
ANES  
NT

17371.  
4  
SIMO  
STEL,  
ORDIN.  
MOTORE

N,

R.